

exposuimus disput. 1. thes. 107. & 126. Nulla igitur in predictis exemplis metonymia Calviniana inveniri potest.

58. Refutato tropo in copula: paucis etiam refellemus tropum in prædicato: Vbi Oecolampadius corpus accipit pro figura, alii pro signo corporis, alii pro efficacia corporis, alii simul pro signo & fructu corporis, alii pro signo & signaculo siue pignore & monumento, vel etiam memoriali, &c.

59. Metonymia signati est, quando res signata nominatur, & intelligitur rei illius signum. Atqui nominato figurato (corpore) non intelligitur signum (corporis) ut paulò ante ostendimus. Sic enim foret identica: Panis est panis. Ergo non est metonymia signati.

60. Nihil dicunt, qui excipiunt, hunc esse sensum: Panis est signum corporis Christi, quod pro nobis traditur. Nam in sacra cæna res gemina est: quarum una signum, altera vocatur signatum, iuxta Calvinianos, nimirum panis & corpus Christi. Affer igitur huc metonymia illius definitionem, & pro modificata voce propriam repone, & habebis propositionem: Panis est panis.

61. Hæc inexplicabilis difficultas facit, ut Calviniani non possint veram & solidam invenire definitionem metonymia sue sacramentaria. Depravant igitur non solum expressum Dei verbum, verum & ipsa fundamenta Logicarum artium, ut viva praxis ostendit.

62. Et premimus nos ipsos hoc argumento. Si vox corpus non accipitur propriè, de ipso vero & substantiali Christi corpore, sed de eius signo, hoc est, pane: Consequens est in sacra cæna non dari & accipi & manducari ipsum verum & substantiale Christi corpus, sed tantum eius signum, hoc est, panem. Consequens est falsum. Ergo etiam antecedens.

63. An sic mavis! Illud omne & solum à Christianis in sacra cæna manducatur (& bibitur) quod verbis illis Christi comprehenditur: Edite, Hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus. Atqui secundum metonymiam sacramentariam, verbis illis  
Christ